



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum  
Societatis Iesu instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1602**

[Dei in Societate Instituenda consilium exquiritur. XVIII.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

summi Pontificis confirmationem.  
 Qui ut pedetentim progrederetur, &  
 ipsa sua confirmatione Societatem et  
 iam magis probaret, certum num-  
 rum adiecit. Ex quo hæc eius confir-  
 matio, ad annum 1543: probatio que-  
 dam fuit quo quidem anno, ubi Do-  
 mino coopeante, & sermonem no-  
 strorum virtutum sua confirmare, suc-  
 cessus is fuit, qui sperabatur; ab eodem  
 Pontifice numeri illa definitio subla-  
 ta est. Deinde vero ab anno 1543 ad  
 annum 1550, vegetior facta est, ico-  
 bustior, & à Iulio 3. alijsque Pontifici-  
 bus confirmata, & multis magnisque  
 priuilegijs aucta, & vehementius sta-  
 bilita, ut suo loco dicam.

**D**E IN SOCIETATE INSTI-  
 TUENDA CONCILII EXQ. ISTITUR.

**CAPUT XVIII.**

**E**T quoniam hoc peruentum est,  
 & de institutione Societatis atq;  
 confirmatione egimus, non erit  
 (vt arbitror) abs re, si quod Dei suc-  
 cit, in hac ipsa Societatis confirmatio-  
 ne consilium pro modulo nostro in-  
 vestigemus. Ille enim Ignatium Ec-  
 clesiæ suæ labanti, singulari quadam  
 prouis.

prudentia, auxilio misit: ut & se, &  
filios suos murum pro domo Dei in-  
sultantium hostium furori obijceret.  
Atque ut hoc Dei Opt. Max. propositū  
magis eluceat, necessarium est, quo in  
statu Ecclesia sancta fuerit, quo tem-  
pore Ignatius vixit, diligenter consideremus.  
Ex hoc enim melius intellige-  
mus, quanta fuerit huius auxilij neces-  
sitas: ex necessitate etiam Dei consili-  
um magis apparebit. Qui quidē quasi  
Pater quidam familias vigilatissimus, Mat. 20.  
nunquam non operarios conductit in  
vineam suam; sed tunc maximè, cum  
illa magis inculta videtur, atque deser-  
ta. Et tanquam Rex Regum, & Domi-  
nus dominantium omnium potentil-  
simus atque sapientissimus, regnum  
Ecclesiæ suæ amplissimum munire nō  
cessat: & sacras religiones in eo, velu-  
ti munitissima quædam propugnacu-  
la collocare, atque fortissimorum mi-  
litum præsidjs cingere: & armis, com-  
meatu, rebusque ad defensionem ne-  
cessarijs instruere: ne vitiorum, hære-  
sum atque errorum monstra hostili-  
ter irrumptant: bellumque virtuti atq;  
veritati impunè indicant: & de sanctis-  
sima religione nostra triumphare vi-  
deantur. Nihil temerè facit Deus, ni-  
hil,

Matth. 10. hil fortitudo. Nā si folium arboris ab  
Cap. 8. que illius nutu non cadit; si oēs capili  
los capitis nostri habet numeratos; &  
sua ipsius prouidentia attingit à fine  
usque ad finem fortiter, & disponito  
mnia suauiter; quanto magis in Reli  
gionum & sacrorum Ordinū institu  
tionibus (quæ longè nobiliora nimis  
arque excellentiora ipsius opera sunt)  
hanc suā admirabilē prouidentiā De  
us prodere, atq; illus triūs debet profi  
re: Et vt certi⁹ ali⁹ quid colligere, & mi  
nus dubijs coniecturis Dei consilium  
assequi possimus; ponam⁹ ante oculos  
finem, cuius gratia Societas est institu  
ta; qui quidem is est, quem præsens Ca  
tholicæ Ecclesiæ tempus requirebat.  
Est igitur Societas Iesu, vt in confir  
matiōnis Apostolicæ literis contine  
tur, ad defensionem ac propagatio  
nem fidei potissimum instituta. Fides  
ab hæreticis defēditur, apud Ethnicos  
propagatur. Videamus ergo, quid op⁹  
nostris temporibus fuit, vel fidem Ca  
tholicam ab hæreticorum oppugna  
tione defendere, vel eam inter Gen  
tes amplificare: ex ijs enim duobus  
capitibus, diuinę prouidentiæ consili  
um fortasse licebit cōjicere. Nam hoc  
ipso tempore, quo Ignatius lucem hæ  
hausit,

Hausit, innumerabiles, easq; atrocissi-  
mas calamitates Dei Ecclesia ab infi-  
delibus, atque ab hæreticis perpesta  
est, vehementerq; debilitata, atq; di-  
minuta. Et tamen ( quæ Dei in spon-  
sam suam benignitas est ) ad reparan-  
das has tantas ruinas, & damna resar-  
cienda, quæ patitur in Europa, nouu  
Dominus mundum, atq; hactenus in-  
cognitū mirabiliter patefecit, in quo  
se latius funderet lumen fidei, & innu-  
meras atq; latissimas prouincias per-  
agraret. Mitto nunc quas strages edi-  
derit, quas Christianorum prouinci-  
as Ottomanicū Imperiū ab anno fer-  
mè 1300. quo cœpit, vsque ad annum  
Domini 1491. quo Ignatius in lucem  
editus est, occupauerit, quas nationes  
subegerit, quæ regna subiugauerit; in  
quibus scilicet, vel extincta, vel certè  
maiorem in modum afflita & labefa-  
ctata est Christi religio, & spurca te-  
traq; Mahometis secta inducta Ex quo  
primū certè Ignatius lucis huius usu-  
ram accepit, religionis nostræ lumen  
magna ex parte obscuratum est in in-  
feriori Pannonia, occiso eius Rege  
Ludouico: in Dalmatia item, & Illy-  
rico. Amisimus Rhodum, fidei propu-  
gnaculum, atq; hostium terrorē, Chiō.

*Iouani  
Richeris  
de rebus  
Turcicis.*

In-



Insulam, Cypri regnum, Coronem,  
Methonem, Neapolim, Maluasiam,  
Neupactum, Giletam, Tripolim, Bu-  
giam, aliaque plurima loca munitissi-  
ma, à Christianis olim expugnata, ut  
in illis Christi fidis effloresceret. Quid  
dicam de heresibus atque errorum pot-  
tentis, quae nostro infelici saeculo exti-  
terunt? Quot prouincias euerterunt?  
quot regna affligerunt? quot Catholi-  
corum Republicas deuasunt? quae  
calamitates non importarunt? quibus  
malis vniuersam Ecclesiam non affe-  
cerunt? vexarunt? perdiderunt? Anno  
**Cochleus,** humanæ salutis 1483 natus est in Sa-  
**Surius,** xonia, superioris Germaniae prouin-  
**Fontanus,** cia, humani generis perniciosus, ac cer-  
**& alij.** tissima pestis Martinus Lutherus. An-  
no vero 1517, in condonationes pec-  
catorum, ac remissiones à Romano  
Pontifice concessis, impiè debacchari  
cœpit. Furijs autem illum agitantibus,  
anno 1521, palam Catholicæ Ecclesiæ,  
per summum scelus bellum indixit.  
Quo ipso anno Deus in Pompeiopo-  
litana arce Ignatium vulnerauit, ut sa-  
naret, & ex vanitatis vili mancipio Du-  
cem fortem efficeret: & Lutheru-  
quam acrem Ecclesiæ suæ propugna-  
torem opponeret. Hoc diuinæ bonitatis

pro



proprium est. Hæc est certissima ratio  
divini consilij. Nunquam Ecclesiam suam  
deserit Deus; sed ubi maximè op-  
pugnatur, fortissimos excitat defensores.  
Sic Simoni Mago Simonem Petrum  
Apostolorum Principem, Atio Atha-  
nasium, Nestorio Cyrrillum, Iouinia-  
no, Vigilatio, Eluidio Hieronymum,  
Mani & Pelagio Augustinum, alij. He-  
reliarchis, atque fidei hostibus, alias  
clarissimos defensores opponit. Ex  
quo prudenter est ab Ecclesiastice hi-  
storiæ scriptorib. animaduersum, quo  
dic Pelagius in Anglia natus est, ut te-  
nebras terrorum mundo offunderet:  
eodem ipso die, Ecclesiæ lumine Augu-  
stinum in Africa emicuisse, ut impij  
ac nefarij hominis caliginem depelle-  
ret, & vniuersam Ecclesiam luce sua  
collustraret. Quo tempore Ambigës,  
aliisque peruersæ doctrinæ magistri,  
importunius Ecclesiæ pacem turba-  
bant, & succrescentes spinæ vitiorum  
semen à cœlesti satore sparsum mali-  
gnè suffocabant, duo illa mundi lumi-  
na atque ornamenta, Dominicus &  
Franciscus quasi de cælo lapsi sunt, ut  
per se, & per filios suos hæreticorum  
franarent impetum, errorum radices  
euclercent, vitia tollerent, mores com-

Ferdinan-  
dus à Ca-  
stillo lib 1.  
Cronic.

pon-

ponerent, deniq; vniuersum terrarum orbem admirabili vita atque doctrinam illuminarent, atq; ad Dei amorem accederent. Quemadmodum à sanctissimis illis Patribus factum fuisse legitimus, & ab optimis eorum sibi, quotidie fieri videmus. Religiones ex quæ militares vocantur, ijs temporibus constat ut sunt, quibus sancta Ecclesia armis infidelium mirum in modum diu exata, atque oppressa, virtute etiam Christianorum militum erat defendenda & vindicanda in libertatem. Quid item de reliquis est sacris Religionibus in religendum, & de ea portissimum, qua de agimus Iesu Societate.

*Cochleus, te. Nam cùm Martinus Lutherus Mosurius, Fōnachus, vna cùm suæ religionis habitanus.*

tu pudorem etiam ac Dei timorem exuisset, & sacrilegas atq; incestas nuptias cum virginib; Deo sacrata impudenterissimè celebrasset, signum in Ecclesiâ Catholicam sustulit, bellum Christi Vicario indixit, milites cōscripsit, denique omnes gentes diris clamoribus & horrendis blasphemis ad arma cōcitatuit. Sequuti Lutherum è vestigio sunt homines prophani, perdit, seipso amantes, superbi, elati, & rerū nouarnm cupidi. In ijs, magno numero

Poetæ

Poetæ leues, Oratores garruli, Grammatici fuerunt arrogantes, qui versib.  
cantilenis, rythmis, comœdijs, decla-  
mationibus, & magistrum suum Lu-  
therum miris laudibus extulerunt; &  
in traditiones, ceremonias, dignitates  
Ecclesiasticas atrocissimè inuesti sunt.  
Magnus deinde g. ex se se Lutherò ad-  
iunxit Sacerdotum Monachorumq.:  
qui quod infirmis oculis clarissimam  
Religionum, in quibus vinebant,  
lucem ferre non possebant, ut licenti-  
us libidini siæna laxarent, & in tur-  
pissimarum voluptatum cœno volu-  
tarentur, ipsarum religionum claustra  
reliqui erunt. Et ne dubitari posset, quid  
eos ad tantam insaniam impelleret,  
quasi libidinis igne succensus astua-  
tunt; & tanquam equi admissarij ad  
voluptatem incitati, ad Lutheri ora-  
tionem adhinnierunt; uxores duxer-  
unt; mulierculas deceptas, & virgi-  
nes etiam Deo dicatas per summum  
scelus coaspararunt: & quidem tam  
impudenter, tam celestè, ut in nuptijs  
cuiusdam illorum, Missam etiam com-  
posuerint (si sacratissimæ rei nomen,  
in tam immanem quadrare potest in  
saniam) execrationibus & blasphemis  
referriSSimam, in qua incestos &

fœ-

*In nuptijs**Carolsta-**dij Fon-**tanus**lib. 8.*

## 190 VITAE IGNATII

fœdifragos, atque impuros sacerdotes collaudant, sanctos vocant, à Dei illuminatos prædicant, quod excusso continentiae iugo, vxorum adhaerent amplexibus; & cæteres ut idem faciant, adhortantur. Nempe hæretici, cum vita facti que sunt detestabiles, tum verò ipsa peccādi licentia incredibili, atque impudicitia longè iam detestabiliores. Isti itaque nefari atque præditissimi Apostolæ, cœperunt libertatem prædicare, ut homines peccati seruos efficerent: annunciatæ voce Christum crucifixum, re autem vera Antichristum: denique persuadere fidibus, ut pœnitentiam, crucem, veram Christi imitationem abiserent, & per omne flagitiæ ac turpitudinis genus agerentur præcipites. Erat hoc ipso tempore ijs vitijs contaminatus, ijs morbis confessus mundus, actam incurabilibus saucius vulneribus, ut multi hanc doctrinam facile admitterent, & venenum hauriret suaviter, & tanquam medicamentum salutare alijs etiam propinarent. Fuerunt in ijs è fæce Reipub. sutores, cerdones, tinctores, lanij, homines facinorosi, & vulgo infames, & publicè damnati, & ignominiae notis inusti, qui noui hu-

ius Euangeli, noui magistri atq; con-  
cionatores extiterūt. Quos enim alios  
huiusmodi doctrina haberet docto-  
res? Imò verò eò progressa est quarun-  
dam muliercularum garrularum atq;  
impudentium audacia, ut abstera illa,  
quæ illis innata & propria est fœmina-  
rum vçrecundia, & neglecto *Aposto* *1.Tim.2.*  
*li Pauli præcepto, mulierem domi suę*  
*in silentio discere iubentis, & in Ec.* *Fontanus*  
*clesia loqui prohibentis, in suggestum lib.5.*  
ascenderent, verbum Dei explicarent,  
in concione de sacra Scriptura disse-  
rerent, doctissimos Theologos ad cer-  
tamen prouocarent, assertiones ani-  
les, & theses, seu potius deliramenta  
quædam publicè defendenda propo-  
nerent: ut verum sit illud D. Hierony- *In epistola*  
*mi: Quod medicorum est promittunt ad Pauli-*  
medici, tractant fabulia fabri: sola *nun.*  
scripturarum ars est, quam sibi passim  
omnes vendicant, scribimus in docti  
doctique poëmata passim. Hanc gar-  
rula anus, hanc delirus senex, hanc so-  
phista verbosius, hanc vniuersi præsu-  
munt, lacerant, docent, antequam di-  
scant. Alij adducti supercilie, grandia  
verba trutinantes, inter mulierculas  
de sacris literis philosophantur: alij  
discunt, proh pudor, à fœminis, quod

I viros

viros doceat; & ne parum hoc sit, quādam facilitate verborum, imò audacia edūcerunt alijs, quod ipsi non intellegunt. Hæc ille. Cœpit contagione serpere hoc venenum, & diffundere se quotidie latius Babylonicum hoc incendium, ac vires acquirere magnorum quorundam principum studijs: qui quidem, vel propter ambitionem atque improbam cupiditatem, & ex bonis Ecclesiasticis magnū quem sperabant quæstum; vel ad alendas atque sustentandas quas cū alijs gerebat inimicitias; vel alijs turbidioribus animi motibus obsecrati, perditorum concionatorum insatias sua potētia, atque benevolentia auxerūt. Iissq; colore ac prætextu quodam religionis, ad suas ipsorum libidines facilius consequendas, per summum scelus abusū sunt. Et quoniam Deus mala nostra grauiter punire decreuerat: alijs malis maioribus & magis perniciiosis nos inuolui permisit, & omniū penitentia extiterunt hoc ipso tempore intēsum atq; errorum sunt faces, & alcūm dormientib. pastorib. & mutis canib. rapaces lupi tantam stragēti (quātan

pro

(proh dolor videmus) in Christi ouile  
ediderunt, consequitæque sunt innu-  
merabiles atque grauissimæ calamita-  
tes ex novo hoc Euangelio, quæ vni-  
uersam Christianam rem pub. acerbis-  
simè afflixerunt, atq; deformarunt. ex  
quibus nonnullas referam: omnes e-  
nim percensere, esset infinitum. Prin-  
cipio, omnes penè errores, atq; pesti-  
lentes hæreses, quæ ab ipso nascentis  
Ecclesiæ exordio, haec tenus extiterūt,  
iamdū sepultas ab inferis reuocarunt:  
vix enim ex omnium præteritorum  
sæculorum memoria, vlla fuit vel opi-  
nio tam absurdæ, vel blasphemia tam  
impia, vel doctrina tam perniciosa, vel  
dogma tam insanum, quod infelicissi-  
mo nostro tempore non reuixerit, &  
à Luthero eiusque discipulis ab orco  
excitatū non sit. In sanctissimam Tri*De ijs lege*  
nitatem, in Christi Domini nostri di*Nicolaū*  
uinitatē, in Spiritus sancti personam, *Sanderun*  
in beatissimam Matrē, atq; immacu*lib. 7. de*  
latam virginem Mariā, in purissimas *visibili*  
angelorum mentes, in sanctos, in ani*monar*-  
mas quæ purgatoriij igne expiantur, chia, &  
impuro ore perbacchati sunt; in ipso *Sarium*  
denique inferno, quod mentirentur *in historiæ*  
ac blasphemarent, inuenirūt. Nullum anni 1561.  
est in Dei Ecclesia sacramentū, quod & Linda-

I 2      non

nū in ex-  
hortatio-  
ne ad Hol-  
landos  
c.12.

non peruertant : nulla sacra ceremo-  
nia, quam non irrideāt: nulla Aposto-  
lica traditio , quam non conuellant:  
nulla diuinæ scripturæ pars, quam vel  
non excludāt, vel ineptis ac pernicio-  
sis trāslationibus, annotationibus, in-  
terpretationibus, nō deprauent & cor-  
rumpant. Quid dicam de sacrosanctis  
Concilijs, Spiritu sancto autore atque  
inspiratore celebratis ? Quid de san-  
ctissimorum Pontificum, decretis, pu-  
blicè à Luthero igne cōsumptis? Quid  
de doctissimorum atq; beatissimorum  
Patrum monumentis, qui cælestis vite  
exemplø , atq; admirabili doctrinæ  
niuersam Dei Ecclesiam illuminarūt,  
& ad Christi Seruatoris nostri imita-  
tionem inflamarunt? quæ tanquam  
antidota & medicamenta salutaria, &  
corū venenatis erroribus omnino cō-  
traria, impostores isti mutilant, lace-  
rant, deprauant. Mitto quæ dicunt &  
faciunt, contra summam Romani  
Pontificis , Christi in terris Vicarii  
ac Petri successoris potestatem. Nam  
veluti latrones ac teteriimi partiti-  
dæ , leges ac magistratus odio prole-  
quuntur : sic omnes semper hæretic  
Romanum Pontificem iudicem p-  
uent, ac perhorrescant. In summa,

hil est tam sanctum, quod non prophaneat: nihil tam firmum, quod non labefactare conentur: nihil tam certum, tam fixum, tam omnium saeculorum, nationum, Patrum confessione in Ecclesia Catholica receptum atque stabiliū, quod in dubiu non vocent, quod non infirmant, quod non conuellant. Et quoniam veritas una semper est, falsitates multæ suæ, & sibi aduersantes atque contrariæ: tot ex Luthero quasi ex Lernæa Hydria capita extiterunt, tot sectæ atque hæreses prodierunt, ut eas enumerare omnes, sit perdifficile. Nam vel ex una Anabaptistarū secta, *Federicus* 12. aliæ sectæ emerserunt, tam inter se *Staphylum* pugnantes, ut quibus in urbibus illigantur. *Sam.* q; similes pestes gracillantur, vix derus. *t. 7.* de visibili inuenias, ubi quod maritus credit, credat uxor, & quod paterfamilias *Mon. eæs* amplectitur, filius ac famulus sequatur, & quidem tanta inconstantia, vt *rant.* in ea solùm sint constantissimi, Euri po omniq; vento mutabiliores. Gerunt præterea inter se grauissimas inimicitias, & plus quam Vatiniano odio se inuicem prosequuntur: in eo tatum conueniunt, ut Catholicis omnib. bellum inferat; ut Christi Ecclesiæ iunctis virib. pertinaciter oppugnet, & tāquā

1 3.

Sam-

**Iudic. 15.** Samsonis vulpes, segetes Catholicorum incendant. Neque verò satis ijs fuit perniciosos errores excitauisse, & plus quam Cimmerias ostudiisse tenebras mortalibus, eorumq; animas pestilenti doctrina perdidisse, sed in corpora etiā, graffati immaniter sunt, & infinitis penē Catholicis vitā hanc mortalē violenter eripuerunt, quod eternā auferre nō potuissent, a Sanctissimi Episcopi, Monachi religiosissimi, Sacerdotes sacrosancti, Virgines honestissimæ, atq; etiam Deo dicatæ, pueri innocentes, senes ætate & canitie venerandi ab ijs maestati sunt: & quidem tam atrociter, tam truculenter ac dirè, ut noua atque exquisitorienta excogitarent, & omnijū tyrannorum, de quib. fortissimi atq; beatissimi Martyres olim triumpnarunt, saevitiā etiam atq; immanitatem vincerent. Legat qui volet nostro rū temporum historias, quas innumerabili reperiet refertas inauditæ crudelitatis exemplis. Quot virgines castissimæ, quib. ab hereticis vis est illata, quod fidē Catholicā nollent ciurare, māmillis deinde intra arcarū vel torpessimo, culorum seras compressis, miserrima Epistola lentaque morte perierunt! quot sacra ad Regem rum familiarum viri & Sacerdotes heterices

reticorum truculentā barbariē exper-  
ti sunt! alij viui in terrā defossi, alij de  
turribus prēcipites deieūti, alij excoriatia-  
ti, alij elixi, aut viui affi, alij crano clau-  
nis transfixi, alij in os iniecto puluere  
tormentario, atque in censo combusti,  
atq; in minutissima frusta discepti.  
Quoties ex Catholicorum adhuc spu-  
rantiū ventrib. discissis, atq; inter ge-  
mentium piorum viscera iniecto hor-  
deo, equis ipsis insolens pabulum hor-  
rescentibus, cibus est propositus: Qua-  
ties mulierum prægnantium & viuen-  
tium vteri secti? eorumque ob oculos  
palpitantes fœtus extracti, saxis illisi,  
aut in ignem iniecti, aut verubus alli-  
gati, lenio igne tosti sunt: Quis credat  
vsque adeò hæreticos furijs agitari, o-  
mnisque sensus, atque humanitatis  
expertes, ut Sacerdotibus, Deique in-  
uiolatis ministris, nares atque aures  
præciderint, eisque suorum equorum  
fræna ornarint? & quasi in publica  
gestarint lætitia, magna pompa, feri-  
tate, triumpho: Quis religiosissimis at-  
que sanctissimis senibus pudenda mē-  
bra amputasse, coxisse, in os ingessisse,  
manducare eos incredibili impuritate  
atque violentia corgissee? Hæc tamen  
& alia ijs peiora, à Calvinistis in Gal-

Iia nostra ætate perpetrata sunt. Quod si hæc perditorum hominum feritas atq; insania in homines tantum sœu-  
ret, nostro tantū sanguine suam insa-  
tiabilem rabiem exsaturaret : graniter  
quidem, sed minus tamen esset dolen-  
dū. Sed proh nefas, Deo, Diuis, sacris  
omnibus bellum infert, cælū terrę mi-  
scet, & gigātum more pugnat cū Deo.  
Templa in Diuorum honorem Deo  
dicata prophana fecerunt : calices, ya-  
sa, vestes sacras, baptismi aquam, sacre  
unctionis oleum, sanctorum virorū  
ossa polluerunt, violarunt, dissiparunt.  
Quis possit narratione complecti, aut  
enumerando percensere templa incē-  
sa, & solo e quata monasteria vixorum  
& seminarium direpta atque cuersa  
sacrarum rerum omnium instrumen-  
ta proculata, atq; per summam igno-  
miniam irrita : beatissimorum virorū  
atque in celo cum Deo iam regnantū  
reliquias disiectas & cōculatas ? Quo-  
furore ac rabie, SS. Episcoporum cor-  
pora Irenæi, Hilarij, Martini, Aiani,  
Th. Cantuariensis, Bonauenturæ, &  
aliorum exusserunt ; in cineres rede-  
gerunt : in flumen præcipitarunt ? Di-  
uorum imagines demoliti sunt ; cru-  
ces etiam, & Christi in cruce penden-  
tis

tis simulachrum flammis tradiderūt?  
Sed quod omnem impietatem infinitis partibus superat, & vel dæmon ipse cogitare perhorresceret, illud est,  
quod angustissimam atque diuinam hostiam, in qua verissimum Domini nostri Iesu Christi corpus continetur  
(o immensa bonitas, o clementia, &  
patientia Dei infinita) sæpenumero indignissime tractarunt? Quis est tam stupidus, qui hic non excitetur? tam à ratione atque humanitate alienus, qui hæc non sentiat? Quis qui vel scintilatim habet fidei, cuius ad hæc mens, non stupeat? lingua hæreat? sensus non deficiat? Neque vero existimare debemus idcirco Deum hæc pati, & ad gravissimas iniurias suas dissimulare & connuere, quod in scelestissimos atque flagitosissimos homines animaduertere non possit. Non est hic, non est defectus potentiae, sed bonitatis excessus: non habet Deus manus ad vindictam inualidas, sed ad ignoscendum faciles: probat fidem nostram, dat infinitæ clementiæ suæ certa argumēta, expectat ut corrigat, præstolatur peccatores, ut sanet, ut vel pœnitentia emendentur, vel pertinacia & obstinati animi peruicacia tardius quidem,

sed grauius puniantur. Solet enim Deus tarditatem, supplicij grauitate compensare. Hic enim quem tam impie ac nefariè ab hereticis nostri temporis accipi atque tractari videmus, ille idem est Dominus, qui Ozā percussit & occidit, quod incaute ac minus reverenter Arcam testamenti retinuisse flet, quæ tamen figura tantum erat diuini huius Sacramenti. Ille est, qui quin quaginta Bethsamitarū-millia interfecit, quod eandem Arcam curiosius aspexit. Ille est, qui omnibus saeculis atque statibus, & nostris etiam temporibus, clarissimis miraculis, in omnibus penè orbis terrarum prouincijs atque regionibus verissimam corporis sui presentiam, & diminitatis tremendam maiestatē sæpenumero testatus est. Ille est, qui Iudeos, qui minus pios Christianos iustissimis grauissimisque poenit non semel affecit, quæ se indignè atque irreuerenter in sacrosancto Eucharistiae Sacramento tractassent. Et quæ in illos præstiter, præstare utique posset in hereticos, qui Iudeos perfidia, & tepidos Christianos impietate vincunt. Sed tamē dissimulat Deus & patienter agit, propter eas quas diximus causas, & propter alias nobis occultas, immensas.

2. Reg. c.

1. Reg. 6.

Verò illius sapientiae notissimas. Et quā  
quam ijs que retulimus reliqua mino-  
ra sunt, quid dicam tamen de furtis, la-  
trocinijs, p̄ædationib⁹, rapinis, in-  
cēdijs, cladibus, quibus per summā in-  
iuriā atque tyrannide Sathanæ mi-  
nistri, infinitā hominum multitudinē  
diuexarūt? Quid loquar de cōiuratio-  
nibus, rebellioribus, tumultib⁹, dif-  
fensionib⁹, perturbationib⁹, ciuium  
discordijs, que simul atq; hæresum pe-  
stis exorta est, pacatissimas Prouinci-  
as, & florentissima Regna peruagatæ  
sunt: In Germania, Luthero authore *Surius in  
historia*  
atq; imp̄ulsore, rustici cōtra dominos  
sūos arma ceperūt; tantaq; est conten-  
tione pugnatū, vt rusticorū centū mil-  
lia occisione sint occisa; tātæ strages  
factæ, vt in sola prouincia Franconia  
supra 200. castella, & religiosorū ho-  
minū monasteria funditus sint euer-  
sa. H̄elvetiorum Cantones (quos vo-  
cant) Catholici, pro auita religionc,  
parua manu cū Cantonibus hæreticis,  
collatis signis dimicarunt, eosq; & nu-  
mero & militum virtute fretos, tribus *Surius*  
p̄ælijs fuderunt, ac profligarunt, &  
Zwingliūn eorū magistrum atq; erro-  
ris Duceū concremarunt. Magna  
pars statuum Imperij à Carolo v. Im-



peratore defecit, delectū habuit, milites conscripsit, exercitum innumerablem conflauit, vt illum oppimeret, & de vniuersa Germania deturbaret: sed vera religio, cuius causa agebatur, Deo Duce atque autore, gloriosam de potentissimis hostibus victoriam reportauit. Quid residui est in omni calamitate, quod florens quondam Franciæ regnum perpetuum non sit? quam diuturna & cruenta bella sæpè gesta quantum sanguinis est effusum? quocties inter Catholicos & hæreticos, & quanta contentione est decertatum, victoria semper ad veram religionem inclinata? Quoties homines perditissimi ac nefarij in Reges Franciæ Franciscum i. i. Carolum i x. Henricum i i i. conspirarunt? vt patriæ parentes trucidarent, nobilissimum atq; potentissimum regnum vastarēt, Catholicam Religionē delerent? Quod nisi Deus piorum atq; integerrimoū hominum ( qui in Gallia adhuc sunt innumerabiles) vota, preces, lachrymas respiciens, impiorum hostiū consilia retexisset, conatus repressisset, impetus retardasset; actum esset de regno illo Christianissimo: in quo tāta fuit & tam aperta atque nefaria Hugonotus

torum rebellatio, ut sint qui ad sempiternam eorum ignominia literis prodiderint, eos Ludouicum Boibonium Condæum Regem coronasse, moneta *Natalis*, tamq; auream illum impresisse, in qua *comes*. hæc erat in scripto: Ludouicus 13. Dei lib. 18. gratia Francorum Rex, primus Chri. *historiae*. stianus. Quæ inscriptio arrogantissima est, & in omnes Christianissimos Frā-*Natalis* ciæ Reges iniuriosa Neque ijs conten*comes* ti, ut nihil ad summam improbitatem lib. 19. decesset, oratores etiam suos Bizantiū miserunt ad Turcarum Imperatorem, vt teterimum illum Christiani nomini hostem ad mouenda arma in Galliam, Hispaniam, Germaniam solicitarent, & auxilia sua pollicerentur, & spem rei bene gerendæ ostenderent, in testinis discordijs, atque tumultib; illis in regnis, ipsorum opera excitat: vt hac ratione potentissimorum re-*gnorum* statum perturbarent, & Catholicam religionem, si possent, extinguerent Sed ea est cordatorum hominum de istiusmodi monstris existimatio, vt vel ipse Turca eorum legationē audire contempserit, quod diceret Hu-*gonottos* tam esse abiectos atque despiciatos, vt indignum sit, supremum orbis terræ Imperatorem, cum eis vlla

Vel amicitia iungi, vel foedere, qui in  
Deum impii, in Regem suum rebellis,  
perfidiosi in reliquos sint, deniq; com-  
munis pacis, atque tranquillitatis per-  
turbatores. In Catholicam etiam aq;  
probatissimam seminarum Mariam An-  
gliae Reginam conspirarunt: & in Du-  
cem præterea Allobrogum Phil-  
bertum, quod ex Valle Engronia ha-  
reticos extirpasset, ne illorum malum  
perditiones suas latius serpetet: & in  
alios permultos Principes moliti sunt  
insidias, vt illos de medio tollerent. In  
quorum numero est Scotiæ Rex, quem  
occidere hæretici conati sunt: Regi-  
nam verò eius matrem ceperunt, &  
coniecerunt in custodiam, quod Ca-  
tholica esset, eamque Angliæ Reginæ  
Elisabethæ, ipsius odio flagranti, in po-  
testatem tradiderunt. Quæ Elisabetha  
cum scemina sit, Anglicanæ Ecclesiæ  
vniuersæ supremum ac spirituale ca-  
put, se dici & haberi vult: & ferendis  
discordijs, auxilijs ferendis, sumptibus  
subministrandis, callide & astutè bellū  
aduersos alios Reges alit, auget, in-  
flamat: in Catholicos verò sui re-  
gni tam implacabili immanitate, atq;  
feritate læuit, vt omnis barbaria ab ea  
superata videatur. Quis ignorat, quo  
in lu-

Natalis

Comes

lib. 7.

Idem lib. 14.

Idem lib. 19.

Surius.

in luctu iaceat, quanto in moerore sit,  
quibus & quam diuturnis calamitati-  
bus sit oppressa, florens quondam & feli-  
cissima Germaniae inferioris Provin-  
cia: quæ tam graues & acerbæ sunt, vt  
ad regna etiam alia longè posita per-  
uadant, quæ exanguia, exinanita, ex-  
hausta sunt, populorum victu, vestiga-  
lium nervis, ærarij sanguine, rebus  
omnibus in bellum pro tuenda relis-  
gione consumptis? Quantum est hu-  
mani sanguinis, ex quo primum Lu-  
therus classicum cecinit, religionis  
ergo per omnes Christianorum Pro-  
vincias effusum? Quot depopulatio-  
nes agrorum, diteptiones virium,  
oppidorum eueriones, templorum  
incendia, cœnobiorum spoliationes,  
populorum strages, clades Provincia- *Anteniss-*  
rum, Regnorum excidia sunt consecu. *Possessio-*  
*ta?* In ipso undecim annorū spacio, a. in epistola.  
pud grauem scriptoriē legi, in Gallia & ad Polo-  
Flandria, quingēta, & tō amplius ho- *niæ regem.*  
minum millia in bello cæsa. Apud al-  
terum verò uno tātū modo anno, qui  
fuit salutis nostræ 1567. in sola Gallia *Natalis*.  
supra 600. monasteria incæsa atq; euer *comes*  
fa, & quinque Sacerdotum, ministro- *lib. 18.*  
rumque Dei millia, à sanguinarijs istis  
nouij Euangelij concionatoribus, per  
sum-

summam crudelitatem fuisse mactata.  
Silentio prætereo permultas alias Pro-  
uincias graui hæreticorum motu cō-  
quassatas atque afflitas. Non dicam  
quas regiones infecerint, quibus in re-  
gnis Catholicam religionem vel dele-  
uerint, vel labefactauerint hæ furię at-  
que pestes. Neque commemorabo su-  
periorem, atque inferiorem Pānoniā  
Bohemiam, Poloniā, Lituaniā, Da-  
ciam, Sueciā, Noruegiā, Hiberni-  
am, aliasque innumerabiles ad Septē-  
tionem Prouincias miserabiliter pro-  
fligatas, atque conuulsas, ne modum  
excedat oratio. Vnum tantum rei ge-  
stæ exemplum referam, quo melius,  
quædicta hactenus sunt, intelligantur.  
Monasterium ciuitas est Prouincia  
VVestphaliæ Metropolis nobilissima:  
ex ea hæretici Anabaptistæ, Sacerdo-  
tes omnes, Monachos, Equites hone-  
stissimos, atque prudentissimos quo-  
que ciues Catholicos sibi aduersantes  
violenter eiecerunt, domos diripue-  
runt, bona compilariūt. Tum suorem  
quendam, hominem scilicet dispic-  
tissimum atque contemptum Regem  
creant, diadema cum ea pompa, atque  
solēnitate omni, quæ in verorum Re-  
gum coronatione adhiberi solet, capi-

ti illius imponunt. Hic Rex iustitiae su- *Surius*  
per terrā appellatur: vxores plurimas *historia*  
ducit: ex ijs vnam præcipuam, quasi *an. 1522.*  
Reginam cæteris honoratiorem eli-  
git, cum qua concionari, & officio Sa-  
cerdotis fungi aggreditur: duo de tri-  
ginta insanos, atque fanaticos concio-  
natores, & tanquā Apostolos (sic enim  
nominabat) varias in regiones ad di-  
seminandum impurum suum Euange-  
lium mittit. Quid multa? finis huius fa-  
bulæ tragicus fuit ac luctuosus. Rex e-  
nīm vxorem suam in medio foro se-  
curi percuti iussit, quod muliebriter  
desleret ac lamentaretur miseras atq;  
calamitates, quas ciuitas illa à Catho-  
licorum exercitu eam obsidētum pe-  
tiebatur. Ipse autem Rex, capta ciuita-  
te, atrocissimis tormentis prius dilania-  
tus, extremo tandem suppicio, impie-  
tatis atque dementiæ suę pœnas iustif-  
simas dedit. Satis ne multa mala sunt  
hæc? nonne fructus noui Euangeliū v-  
beres sunt atque copiosi? non tamen  
hic finis est. Nam præter alia infinita  
damna, quæ exitiosa ista prodigia in  
orbem terrarum inuexerunt, illud cer-  
tè haud minimum est, quod ipsam na-  
turam corruperunt, & laudabiles atq;  
probatisimos quarundam nationum

mo-

## 208 VITÆ IGNATII

mores ita peruerterunt, atque in peius  
cōmutarunt, ut multi, qui antea hone-  
sti erāt, temperati, ac penè frigidi, ex i-  
storum doctrina flagitiosissimi atque  
profligatissimi sunt, & quibusdam libi-  
dinis facibus inflammati. Qui fidelita-  
te, ac modestia olim præstabant, infi-  
deles nunc sunt, & in fraudem semper  
intenti. Qui virtute atq; animi fortitu-  
dine, cum hoste manum conserere, pe-  
dem conferre, & fortissimè pugnande  
vel occumbere, vel vincere soliti erāt  
iam hosti terga vertere, fugere & ab-  
iectis armis trepidare didicerunt. Vbi  
doctrinæ studiū ac sapientiæ floruit,  
nūc summa literarum ignoratio. Neq;  
mitum sanè; semper enim veram reli-  
gionem, quasi comites quædam, po-  
tentia & sapientia sequuntur : subla-  
ta autem illa, quæ dominia & guberna-  
trix est; hæc quasi ancillæ dominam su-  
am abeuntem prosequuntur. Ut igitu-  
me ipse colligam, & orationem micam  
cōtraham: hi sunt ex infinito penè nu-  
mero aliquot fructus, qui ex hereti-  
corum doctrina, quasi ex radice  
pullularunt: mala enim arbor fructus  
bonos non facit, & ex turbido atque  
pestilenti fonte, salubris atque dulci  
aqua non fluit, Hæreticorū enim spir-  
tu

Matt 7.

Zacch. 3.

tus, licentiæ, blasphemiaæ, maledicentiaæ, tyrannidis, crudelitatis, superbiaæ spiritus est. Est enim Sathanæ spiritus, à quo instigantur, impelluntur, exigitantur. Spiritus vero Lutheri cæteris terror fuit, atq; detestabilior, omniumque præteriorum hæreticorum improbitatem atq; impietatem longè superat. quod ut manifestum fiat, & so-

*Libro de  
Missa a g-  
gulari.*

le lucidius constet, ipsem et Lutherus non dubitauit scribere, sibi diabolum de facie notum esse : de nocte sæpè apparuisse, cum eo modios salis comedisse, atque etiam disputasse, & Sophisticas, atque in speciem probabiles rationes, atque argumenta de eo audiuisse, cum cōtra alia vera & solida & antiqua sanctissimæ nostræ fidei dogmata: tum verò maximè contra veritatem sacrosanctæ Eucharistiae, eiusque cultum atque venerationem. Ut per spiculæ nimirum & certò intelligamus, discipulorum Lutheri in augustinissimum atque omnium excellentissimum Sacramentum, quas suprà attigimus injurias, & cōtumelias, quasi riuiulos ex Lutheri fonte fluxisse. Quanquam si quod res est proferre volum, pestilētē hunc Lutheri spiritum, Caluinistarū, atque Hugonottorum spiritus, im-

*Surius:  
an. 1534.*

pie-

## VITAE IGNATII

pietate, violentia, truculentia, & omni  
immanitate superat: & non solum in  
Catholicos, veramque religionem, sed  
in vniuersas ipsas Provincias, & Respu-  
blicas, Regna, in omne denique homi-  
num genus, perniciosissimus & cala-  
mitosissimus est, dicique verè potest  
orbis terrarum incendium. Atque hec  
tanta, quæ aliæ nationes hæreséon la-  
be infectæ experiuntur mala, & pacis,  
atque integræ religionis bona quibus  
Hispania per Dei gratiam fruitur, ve-  
hementer nos excitare atque commo-  
uere debent, ut & magni faciamus hoc  
tantum Dei beneficium, & gratias pro-  
eo maximas illi atque immortales a-  
gamus. Vtrumque facient libentius,  
atque expeditius, quicunque ex Hispa-  
nia in alias Provincias egressi, eas Re-  
giones obierunt ac perlustrarūt, quas  
effrenatus hæreticorum furor depo-  
pulatur & affigit. Poterunt iij minori  
sanè negocio hæresum infinita mala  
pro rei atrocitate expendere: eaque cū  
pace nostra, & publici status tranquil-  
litate conferre. Debemus etiam con-  
niti quantum possumus, & dare ope-  
ram, vt vitia nostra corrigamus. ne sin-  
gulare donū fidei nostris peccatis per-  
damus, quod aliæ nationes suis pecca-

tis perdiderunt: & dies noctesque Deum nostris placare atque fatigare precibus, ut Philippum Regem Catholicū incolumem felicissimum q; quam diutissimē tueatur: qui pro sua auita atq; eximia pietate, summa prudentia, incredibili vigilātia, maxima inter omnes qui vñquam fuerunt Reges potentia, se mutum pro domo Dei opponit, & Catholicam fidem defendit. Quod quidem præstat, non solum armis invictis, & cōsilijs salutaribus, sed etiam ijs sacrorum Patrum excubijs, qui fidei Catholicæ Senatui præsunt, & in perenni quadam vigilia sedentes, hæreticorum furorem ab nostris ceruicib⁹, & certissimam pestem ab Hispaniæ finibus auertunt. Quod quidem sanctissimæ fidei tribunal, ad conseruationē atque defensionem ipsius fidei, Deus Opt. Max. admirabili prouidentia, in Castellæ ac Legionis Regnis instituit, anno ab ortu Domini 1481 in Aragonia verò, Valentia, Catalonia, anno 1483: quo ipso anno Martinus Lutherus in lucem editus est. Ut vel ex hac ipsa tam opportuni temporis coniunctione, Dei consilium fiat manifestū, fidei tribunal, hostibus fidei antidotū veneno prouidentissimè opponentis.

Nam

Nam tametsi cùm primū hoc fidei san-  
ctissimæ consilium est institutum, exi-  
stimabant homines futuorum insci-  
atque improvidi, propterea solum in-  
stitui, ut per illud Hispania Iudeorum  
atque Saracenorum spureis supersti-  
tionibus repurgaretur. Deus tamen  
qui immutabili præscientia sua, præ-  
ter ta, præsentia, futura, ab omni æ-  
ternitate æqualiter complectitur, pro-  
fligatissimos atque pestilentissimos  
nostris temporibus hæreticos exor-  
tueros prospicens, sanctissimæ fiduciæ  
Senatum in Hispania constituit, ad ar-  
cendas ab ea etiam hæreticorum fur-  
ras calamitates. Sed hæc obiter dicta  
sunt; nos ad propositum reuertamus:  
& causas diuini consilij in Societa-  
tis institutione atque confirmatio-  
ne inquiramus. Quo igitur tempo-  
re Martinus Lutherus quasi furia quæ-  
dam exitialis, cum sceleratorum at-  
que perditorum manu ex Orco emer-  
sit, ut Catholicæ Ecclesiæ statum labi-  
factaret atque cōuelleret, & tertiā stel-  
larum partem, ceu draco quidā cadēs  
de cælo, in ruinam secum traheret: eo-  
dē ipso tempore Deus, qui Ecclesiæ suæ  
curam vel maximam habet, alterum  
virum excitauit Luthero dissimilem,

pen-

fei-  
ho-  
rer-  
dee-  
uin-  
ma-  
tur-  
di-  
set-  
ste-  
tis-  
ac-  
are-  
ue-  
tas-  
mi-  
tu-  
fo-  
pr-  
iu-  
au-  
di-  
ter-  
si-  
ga-  
eri-  
gi-  
qu-  
ri-

penitusque contrarium, Ecclesiæ defensorem, acerrimum hæreticorum hostem, Christi imperij amplificatorem. Quod vero Luthero eiusque filijs decretum erat, cum reliqua omnia diuina & humana iura peruertere, tum maximè in sacras religiones impetum facere, & Apostolicos viros sanctissimè in eis viuētes cuertere, si posset, atque extinguiere: ut illis quasi passoribus atque canibals è medio sublatis, ipse tanquam lupus sanguinolentus ac ferens, oves Christi rapet et impunitus atque dispergeret. Incredibili Dei prouidentia factum est, ut noua hæc Societas ad confessionem ipsius fidei potissimum institueretur. Huius ordinis institutum est, alios reliquarū religionum fortissimos duces ac milites, strenue pro fide & Christi gloria dimicantes iuuare, & laborantibus opem atque auxilium ferre. Vbi vero aliorū præsidia desunt, milites suos armatos mittere: qui hostem longius progredi non sinant, furiosum eius impetum frangant, & prædam ex cruentis faucibus trahi. Hoc præstat Societas ijs in Regionibus atque Provincijs potissimum, quæ hæreticorum armis & astu periculosis infestantur: in quibus videri

delicet, quod religiosi alij, qui eas viii  
& doctrina illustrabant, vel omnino  
defecerint, vel pauci admodum (&  
quidem prostrati, debilitati & confe-  
cti) reliqui sint, necessariò Societas  
hanc prouinciam cepit, ut tantas Ec-  
clesiaruinas pro sua tenuitate resarci-  
ret, & hæreticos hostiliter irrumpentes  
comprimeret ne exultare in medacio-  
& imprudentibus atque simplicib. tri-  
umphum agere de veritate atque reli-  
gione videantur. Porro qua ratione  
hoc Societas præstet, & quo fructu in  
nonnullis huius historiæ libris, sum-  
matim legere deinceps licebit.

**DE FIDEI CHRISTIANÆ**  
*apud Indos propagatione.*

**CAPUT XIX.**

**E**t hæc quidem ad coercendos at-  
que frænandos hæreticos perti-  
nent, & ad sanctissimæ nostræ fi-  
dei conseruationem. Iam quæ ad euil-  
met fidei propagationem atque am-  
plificationem attinent (quæ sane non  
est minus vel necessaria, vel admirabi-  
lis) hoc capite si placet persequamur.  
In quam quidem propagationem si-

cul